

conflatam esse, ita tamen ut cum vilibus et rejectaneis multis meliora et optima longe plura in unum conjuncta sint. Abundat illa librīs et libellis qui apud Turcas in bibliothecis templorum et scholarum reperiuntur, atque etiam iis qui in manibus hominum plebejorum et militum versantur, qualis est tota series τῶν *Du'ā-nāmeḥ*, de qua vide Indicem secundum. Nec desunt inscriptiones et alia indicia quae fidem faciunt, non pauca inter eos esse spolia bellorum cum Turcis sub finem sec. XVII gestorum: quae tamen plerumque non statim, ut a militibus abrepta, ita ad nos delata, sed prius fere ab aliis possessa et tractata sunt. — Habemus vero etiam inter orientalia nostra nonnulla vernacula, ut libros manuscriptos Acoluthi *) , Seebischii **) et Reiskii, 186—195, 263, 316—319; Pfeifferi opus gratulatorium polyglottum, 359; Nicolai Schmidii portentosam congeriem, 360; sigillorum thecam, 377; aliqua aeri incisa ad orientem pertinentia, 378; Seebischii apographum Geographiae Abulfedanae Parisiensis, 379 ***); Beckii Bibliothecam arabicam, 380. Insunt praeterea plures libri sinici typis excusi, 425—438, inest denique liber mexicanus, 451. Haec, quamquam non omnia satis commode inter Codices orientales relata sunt, nunc tamen praescriptione quadam et veluti diuturni contubernii jure locum suum inter illos tuentur. — Fuerunt igitur jam ducentis abhinc annis apud nos codices quidam orientales. Sic Biblia hebraica, 442, et Commentarium Aben-Esrae in Pentateuchum, 158, A. 1630 inter libros nostros fuisse constat. — Postea, A. 1683, Vindobona Polonorum et Saxonum conjunctis viribus ab obsidione liberata et castris turcicis direptis, non pauci codices orientales in has terras devenērunt: e quibus inter nostros sunt 204, 252 (uterque olim Seebischii), 284 (quem is, qui eum in castris turcicis repe-

*) *Andreas Acoluth*, A. 1654, d. 6 Martii, Bernstadii natus, A. 1683 Vratislaviae munus concionatoris sacri accepit, ibique ministerio illo subinde in pluribus ecclesiis et simul in Gymnasio Elisabethano munere Professoris linguae hebraicae functus, A. 1704, d. 7 Nov., diem obiit. Manuscripta ab eo collecta huc illuc dispersa sunt. Pauca tantum ex iis per Seebischium ad nos pervenerunt. Codices ejus coranicos, quos ad novam Corani editionem adornandam comparaverat, emit Bibliotheca Senatoria Lipsiensis. *Ebert.*

**) *Siegmund Gottlob Seebisch*, A. 1669, d. 18 Maji, Zwickaviae natus, curriculo academico absoluto biennium Vratislaviae apud Acoluthum linguis orientalibus operam dedit. Hinc in terras externas profectus, diutius Parisiis haesit ibique opus geographicum Abulfedanum transcripsit (Cod. 379 e nostris). A. 1697 Lugduni Batavorum fuit, ubi ex auctione librorum Golianorum plures codices sibi comparavit. A. 1708, d. 2 Jan., accepit Dresdae munus Bibliothecarii Electoralis, usque ad A. 1733 etiam Bibliothecae Electoris privatae praefuit, A. 1746 rude donatus et A. 1753, d. 23 Mart., vita defunctus est. *Ebert.*

***) Quomodo Seebischius, quem e testimonio Reiskii in Autobiographia, p. 134—5, A. 1694 Parisiis fuisse constat, certe non multo ante aut post ibi fuisse tota temporis ratio evincit, quomodo, inquam, idem Seebischius ad calcem partis prioris illius apographi (vid. Catalog. No. 379) scribere potuerit, se eam absolvisse A. 1632, quo tempore ne natus quidem erat, id equidem non assequor; nisi forte sumas, eum haec verba ex illo exemplo, quod ante oculos habebat, cum ceteris transcripsisse. Sed in Cod. Parisiensi nihil tale reperitur. Igitur hoc expediat alius.